

## E P I G R A M M A.

*Ampla vides Hospes sancti Palatia Marci,  
 Hic ubi multiplici sudat in arte labor.  
 Scala gradus nitidis supra scandentibus offert,  
 Insistit geminus culmina tersa gigas.  
 Innumeras intus scala aurea ducit ad aedes,  
 Finditur in varias copia multa vias.  
 Excipiunt secto turbam de marmore portæ  
 Aularum populi permeat unda sinus.  
 Quæque suum retinet posita statione Tribunal,  
 Unde Patres populis dicere iura solent.  
 Curia in his residet, sedit quod regia tectis,  
 Dux, et ius una vivit utrumque Domo.  
 Astræam referunt repetentem ex æthere terras,  
 Ad Venetos puram se retulisse lares.  
 Hanc nupsisse Duci Veneto, quod criminis osor,  
 Iustitiæ cultor, Iuris amator erat.  
 Ac veluti Venetum Respublica nacta cubile,  
 Extitit Imperij nomine nupta mari.  
 Sic Princeps Venetus sponsa fruiturus ab astris  
 Astræam sponsam nomine Iuris habet.*

## A R M O R V M S E D E S.

**H**Actenus de his, quæ ad togata munia spectant ædibus,  
 scripsimus; eas claudamus, & sigillemus armis, quæ le-  
 ges tuentur, à quibus decorentur. Propè Aulam Decemviro-  
 rum ingens Porta Cedrina visitur è lignis Libani montis  
 constructa. Intus armorum est repositorium in quatuor au-  
 las distributum. Omnes plenas omnis generis armaturæ, or-  
 dine, ac dispositione mirabili. Hic ad munimen corporum in-  
 tegri armatus è galeis, thoracibus, femoralibus, ocreisque